BIBLIA LATINA

Klosterneuburg, um 1310/1315 Seite 23v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Iudith

cum manus femine deiecerit eum. Non
enim in multitudine est virtus tua domine.
neque in equorum viribus voluntas tua:
nec superbia ab initio placuit tibi:
sed humilium et mansuetorum tibi semper
placuit deprecatio. Deus celorum creator
aquarum et dominus totius creature
exaudi me misericordiam deprecantem. et de
tua misericordia presumentem. Memento
domine testamenti tui: et da verbum
in ore meo et in corde meo consilium
corroborare: ut domus tua in tua sancti-
ficatione permaneat: et omnes gentes
agnoscant quia tu es deus et non est
alius preter te. Capitulum x.

Factum est autem cum cessas-
set clamare ad dominum: surrexit
de loco quo iacuerat prostrata
ad dominum: vocavitque abram suam: et
descendens in domum abstulit a se-
cilicium: et exuit se vestimentis viduita-
tis sue: et lavit corpus suum. et unxit
se myrra optima: et discriminavit
crinem capitis sui. et imposuit mi-
tram super caput suum: et induit
se vestimentis iocunditatis sue. In-
duitque sandalia pedibus suis: et as-
sumpsit dextraliola. et lylia. et in au-
res. et anulos: et omnibus ornamentis
suis ornavit se: cui etiam dominus
contulit splendorem: quoniam omnis ista
compositio non ex libidine. sed ex vir-
tute pendebat. Et ideo dominus hanc
in illa pulchritudinem ampliavit:
ut incomparabili decore omnium oculis
appareret. Imposuit itaque abre sue
ascopam vini. et vas olei. et polentam.
et lapates. et panes. et caseum: et profec-
ta est. Cumque venissent ad portam
civitatis invenerunt expectantem ori-
am. et presbiteros civitatis. Qui cum vi-
dissent eam: stupentes mirati sunt
nimis pulchritudinem eius: nichil

tamen interrogantes eam: dimiserunt eam
transire dicentes. Deus patrum nostrorum
det tibi gratiam. et omne consilium tui
cordis sua virtute corroboret: et glo-
rietur super te ierusalem: et sit nomen tuum
in numero sanctorum. et iustorum. Et dixerunt
hii qui illic erant omnes una vo-
ce: fiat. fiat. Iudith vero orans deum
transivit per portas. ipsa et abra eius.
Factum est autem cum descenderet mon-
tem circa ortum diei: occurrerunt ei
exploratores assyriorum: et tenuerunt
eam dicentes. Unde venis. aut quo
vadis: Que respondit. Filia sum he-
breorum. Ideo ego fugi a facie eorum: quoniam
futurum agnovi. quod debentur vobis
in predationem: pro eo quod contempnentes
vos. noluerunt ultro tradere se
ipsos. ut invenirent misericordiam in con-
spectu vestro. Hac de causa cogitavi
mecum dicens. Vadam ad faciem
principis holofernis: ut indicem illi
secreta illorum. et ostendam illi quo a-
dicti possit obtinere eos: ita ut non
cadat unus vir de exercitu eius. Et cum
audissent illi verba eius: considerabant
faciem eius: et erat in oculis eorum stu-
por. quoniam mirabantur pulchritu-
dinem eius nimis: et dixerunt ad eam.
Conservasti animam tuam. quoniam tale re-
peristi consilium. ut descenderes ad
dominum nostrum. Hoc autem scias. quoniam cum
steteris in conspectu eius. bene tibi faciet:
et eris gratissima in corde eius. Du-
xeruntque illam ad tabernaculum holo-
fernis: et nuntiaverunt ei. Cumque in-
trasset ante conspectum eius: statim
captus est in oculis suis holofernes.
Dixeruntque ad eum satellites eius.
Quis contempnit populum hebreorum qui
tam decoras mulieres habent. ut non
prophetis contra eos merito pugnare de-
beamus: Videns itaque iudith ho-

al. dabuntur